Chronicon episcoporum Ravennatium s. XIII. Ex cod. Est. V, F. 19.

Prima pars ex Agnelli libro pontificali desumta.

cod.

Incipit chronica. Reverendi patres et presules archiepiscopi ecclesiae Ravennatis seriatim sub compendio missi. Usque ad MCCLXXXVI fuit opus unius, et usque in presentem diem opera alius.

Incipit feliciter.

Isti sunt reverendi patres domini archipresules Ravennates, qui fuerunt a tempore apostolorum beati Petri principis, et Apollinaris ejus discipuli, qui fuit primus hujus sedis archiepiscopus, usque in presentem diem, quo preest venerabilis pater dominus Opizo de Sancto Vitali de Parma, Dei et apostolica gratia sanctae predictae sedis archiepiscopus, quo tempore currebant anni domini quinquagesimus primus, nunc autem MCCLXXXVI. Indictione nona, Inter quos praedictos XII hujus ecclesiae prefuerunt instar XII. apostolorum per varia tempora a), non humana electi industria, sed potius superna adsciti clementia, super quorum capita celitus remissa requievit columba.

a) tpre

De sancto Apollinare archiepiscopo primo.

Apollinaris primus patria Antiochenus Graecis et latinis literis eruditus, apostoli Petri et ipsius domini discipulus, atque ab ipso pontifex ordinatus, et spiritum sanctum recipiens, osculo ab eo recepto, missus est Ravennam, et ab urbe Roma